

te velim facere. Me velim, ut facis, diligas, valetudinique tuae et tranquillitati animi servias. Vale.

XV. M. T. C. A. CAECINAE S. D.

Consolatur divinatione melioris fortunae sumta, ex ingenio Caesaris et natura rerum ac temporum: proposita fortitudinis laude et conscientiae recte factorum: quibus addit communis calamitatis et turbatae reipublicae argumentum.

Vereor, ne desideres officium meum, quod tibi pro nostra et meritorum multorum, et studiorum, et partium conjunctione deesse non debet: sed tamen vereor, ne litterarum a me officium requiras: quas tibi et jam pridem et saepe missem, nisi quotidie melius expectans, gratulationem, quam confirmationem animi tui, complectili tteris maluissem. Nunc, ut spero, brevi gratulabimur: itaque in aliud tempus id argumentum epistolae differo. His autem litteris animum tuum, quem minime imbecillum esse et audio et spero, et si non sapientissimi, at amicissimi hominis auctoritate confirmandum etiam atque etiam puto: nec iis quidem verbis, quibus te consoler, ut afflictum, et jam omni spe salutis orbatum, sed ut eum, de cuius incolumitate non plus dubitem, quam te memini dubitare de mea. Nam cum me ex republica expulissent ii, qui illam cadere posse, stante me, non putarunt: memini me ex multis hospitibus, qui ad me ex Asia, in qua tu eras, venerant, audire, te de gloriose et celeri reditu meo confirmare. Si te ratio quaedam Etruscae disciplinae, quam a patre, nobilissimo atque optimo viro, acceperas, non fecellit: nec nos quidem nostra divinatio fallet, quam cum sapientissimorum virorum monumentis atque praceptoribus, plurimoque, ut tu scis, doctrinae studio, tum magno etiam usu tractandae reipublicae magna que nostrorum temporum varietate consecuti sumus. Cui quidem divinationi hoc plus confidimus, quod ea nos nihil in his tam obscuris rebus, tamque perturbatis unquam omnino